

in potestate, eaque, quem ad modum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur. quodsi aliqua res efficeretur sine causa antecedente, falsum esset omnia fato fieri; sin omnibus quaecumque fiunt veri simile est causam 5 antecedere, quid adferri poterit cur non omnia fato fieri fatendum sit; modo intellegatur quae sit causarum 44 distinctio ac dissimilitudo.' haec cum ita sint a Chrysippo explicata, si illi qui negant adsensiones fato fieri fateantur tamen eas non sine viso antecedente fieri — 10 alia ratio est, sed si concedunt anteire visa nec tamen fato fieri adsensiones, quod proxima illa et continens causa non moveat adsensionem, vide ne idem dicant. neque enim Chrysippus — concedens adsensionis proximam et continentem causam esse in viso positam — 15 [neque] eam causam esse ad adsentiendum necessariam concedet, ut si omnia fato fiant, omnia causis fiant antecedentibus et necessariis; itemque illi, qui ab hoc dissentiunt confitentes non fieri adsensiones sine praecursione visorum, dicent, si omnia fato fierent eius 20 modi, ut nihil fieret nisi praegressione causae, confitendum esse fato fieri omnia; ex quo facile intellectu est, quoniam utrique patefacta atque explicata sententia sua ad eundem exitum veniant, verbis eos non re dis- 45 sidere. omninoque cum haec sit distinctio ut quibusdam 25 in rebus vere dici possit, cum hae causae antegressae sint, non esse in nostra potestate quin illa eveniant quorum causae fuerint, quibusdam autem in rebus causis antegressis in nostra tamen esse potestate ut illud